Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26142
Copyright: Admont, Benediktinerstift

leges istas aliquando dissoluere quibus
uniuersus utitur mundus. Sed tamen
nos queramus quomodo etiam spiritaliter edifi
cemur. Potest enim fieri ut neque filie im
sint secundum carnem. neque aliquid ruris
cuius capi possit hereditas. Quid ergo?
Nichil apud deum quod eiusmodi est lex ista
operabitur. et erit alicui ociosum quod di
uina uoce sancitum est. Requiramus ergo
apud spiritalem legem que sint iste quoque
filie quarum etiam si pater mortuus
fuerit per aliquod peccatum. ipse tamen
hereditatem ex uerbo dei capiant. In
superioribus cum de spiritalibus filiis tracta
remus uirtutes animi et sensus
mentis filios dici docuimus. Consequens
sine dubio et conueniens uidetur fi
lias opera esse que corporis ministerio
explentur accipere. Ideo denique et
quinque eis numerus ascribitur. Quinque
enim corporei sensus sunt quibus omne opus
expletur in corpore. Iste enim quinque
filie idem operum perfectio etiam si patre
orbentur et remaneant orphane
non tamen abiciuntur ab hereditate.
neque excluduntur a regno. Sed in
medio plebis dei porcionem here
ditatis accipiunt. At enim uideamus

quis est pater earum qui mortuus eis dicitur: Sal
phaat inquit. Salphaat autem interpretatur
umbra in ore eius. Pater operum intellectus
est. Sepe enim accidit et non pauci inter
fratres nostros sunt in quibus intellectus altior
et profundior nullus. sed est in eis sensus
emortuus. sicut de quodam scriptum est mor
tuum est cor eius in ipso. Iste enim si ad in
telligentiam spiritalem nichil sapit sed
est emortuus. tamen si genuit filias
idem opera ministerii. opera obsequiorum.
opera mandatorum dei hereditatem cum
plebe domini consequetur. Non poterit quidem
inter eos numerari quorum portio dominus est.
non poterit in ministrorum et sacerdotum
numero suscipi. in plebeio tamen or
dine hereditatem terre repromissio
nis accipiet. Multi enim sunt uocati. pau
ci uero electi. Ostenditur tamen et causa
ex ipsius nominis interpretatione. quia
iste salphaat non potuerit filios
generare sed filias. Interpretatur enim ut
diximus umbra in ore eius. Vides enim
quomodo si quis umbram legis habet in ore
et non ipsam imaginem rerum. hic quasi ni
chil spiritale. nichil profundi intel
lectus sentire potest sed sola umbra
legis in ore eius est. sensus uiuos et